

WBP
Upois
28521

EMANUEL DE SCHIMONI - SCHIMONSKI,
DEI ET SANCTAE SEDIS APOSTOLICAE GRATIA
PRINCEPS - EPISCOPUS WRATISLAVIENSIS, REGIO - BORUS-
SICAE MAGNAE AQUILAE RUBRAE ORDINIS EQUES etc. etc.

UNIVERSO CLERO DIOECESIS WRATISLAVIENSIS SALU-
TEM ET BENEDICTIONEM!

A quo Episcopatus Wratislaviensis curae Nostrae, ac vigilantiae pastorali commis-
sus fuit, saepe ac serio perpendimus, quodnam onus Nostris impositum sit humeris,
et quidnam ad onus hoc Nobis alleviandum vos filii in Christo dilecti! conferre et
velitis, et beatatis.

Magnum utique, immo gravissimum vigilantiae et curae Nobis incumbit onus!
Vigilandum, ne pars gregis Christi Nobis concedita detrimentum patiatur, ne doctrinae Christi,
pani huic coelesti, nutriendis Fidelium animis destinato, immisceantur
putrida prudentiae carnalis fermenta, ac vana hominum temporumque commenta,
quibus panis ille corruptus effectu suo excidat.

Vigilandum, ne revelata Fidelibus DEI in Christo facies incredulæ et petu-
lantis speculationis de novo recondatur velamine. Vigilandum, ne in agro Christi ini-
mico tentamine spargantur zyzania bonum triticum suffocantia. Vigilandum, ne sacra
obedientiae, unitatis, et charitatis infirmentur, aut frangantur vincula, quibus Fideles
immediatis suis pastoribus, hos Praesulibus, hos ecclesiae Primi intime ligatos esse
oportet. Vigilandum, ne manus imponamus nisi dignis status sacerdotalis alumnis,
nec Beneficiis curatis immittamus nisi doctrinae puritate, et vitae integritate conspi-
cuos.

Curandum Nobis, ut moralibus Dioecesis Nostrae apprime consulatur indigenis; ut cultui Religionis externo ea magis magisque concilietur forma, ac dignitas, qua Religionis internae aut manifestandae, aut excitandae medium efficax existat. Curandum, ut a Senatibus et Consistoriis Nostris graviora et publica Dioeceseos fideliter, feliciterque gerantur negotia; ut ab Archipretbyteris Nostris singulorum Circulorum proximis provide et sedulo consulatur necessitatibus, ut tandem ab omnibus animarum Curatoribus ea gregibus sibi commissis impendatur cura, et fidelitas, quam summus animarum Episcopus exigit Christus.

Gravissimum itaque Nobis incumbit onus, quod non nisi precibus, et subsidii Vestris adjuti sustinebimus: ad quae quidem subsidia Nobis afferenda sequentibus vos invitare, ac paterne exhortari decrevimus.

Filii in Christo dilecti! pulchram in vobis exhibete digni animarum pastoris imaginem, quae

Sacrorum doctrina,

Vitae et morum integritate et Prudentia effulgeat pastorali.

Sacrorum solidam sectemini doctrinam, qua juventuti elementarem, adultis pleniores religionis Christi ingeratis scientiam: quod non valebitis, nisi cognita et adhibita probatissima institutionis catecheticae, et homileticae methodo, quam indies magis excoli, ac sedulo exerceri maximopere desideramus, ut ita magnum recte erudientiae juventutis, et populi in viam salutis dextre inducendi opus majora indies capiat incrementa.

Singulari prorsus benevolentiae affectu prosequimur, et prosequemur eos, quos parvulis apte frangendo panem, et sana pascua gregi suo afferendo inter alios eminere aut novimus, aut audiverimus: et cum religionis docendae munus nostro tempore et difficultatibus non careat, et magnis indigeat praecautionibus, lubet muneris hujus fructuose obeundi eorum quedam recolere principia, et monita, quae, quoad rem, sacro Apostolorum fluxerunt calamo.

Filii in Christo dilecti! fugite in praedicando Evangelio, et docenda religione, fugite amarum, et acutum contendendi, litigandi, et exprobandi animum; qui non servit nisi magis adhuc exacerbandis veritatis inimicis, sed cum modestia, mansuetudine, magno rationum pondere in verbo veritatis, et virtute DEI urgete eos, qui resistunt veritati, ut influente Numinis supremi gratia amplectentes veritatem resipiscant a diaboli laqueis, a quo ad ipsius consilia captivantur. Experimur enim indies, quantum detrimenti afferat religioni superba, inhumana, et saepe adeo trita et vulgaris hominum doctorum inter se contentio, qua, missa veritate, aerem verberant, pro umbra decertant.

Filii! nolite erubescere testimonium Domini nostri Jesu Christi: gratia enim, quae est in vobis per impositionem manuum, non ingerit spiritum timoris, sed virtutis: non ergo timidi simul et elati vosmetipsos praedicate, sed Jesum Christum, per quem DEUS, qui jussit de tenebris splendescere lucem, ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiae verae salutis; quae illuminatio non fulget illis, quorum mentes deus hujus saeculi excoecavit, qui ambulant in astutia adulterantes verbum DEI, qui sapientiam mundi sectantur, filii mundi, qui mundum amant, ad genium

mundi docent, et a mundo audiuntur, quia Christum solvunt; ac vel inde comprobant, se ex DEO non esse. Ex DEO enim solum ille spiritus est, qui confitetur, Christum in carne venisse.

Nolite itaque jugum trahere cum hisce etiam temporis nostri infidelibus: de medio eorum moraliter exite: quae enim societas luci ad tenebras, quae conventio Christi ad Belial? quin potius cum Apostolo gloriemini, non seire velle, nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum. Hunc praedicate; hujus Evangelio puerorum, et adultorum pectora imbuite, abundantanter implete; et quidem non jactante et ventosa sermonis sublimitate, sed in ostensione spiritus, virtutis, et sacrae unctionis, ut fides Christianorum non transeunte hominum sapientia, sed permanente DEI nitatur virtute. Non mundi, sed DEI spiritum accepistis: non ergo saeculi, sed DEI in mysterio loquamini sapientiam; quae in abscondito est, quam praedestinavit ante saecula in gloriam nostram, quam animalis homo non percipit, spiritualis autem cum exultatione dijudicat.

De caetero ista sine causa monuisse non credimus, cum quisque adhuc fidus Christi confessor doleat incredulum aetatis nostrae genium, qui omnibus doctrinae, temeritatis, et fucatae illuminationis machinamentis eo adnititur, ut humanitatis lapsum, ejusdemque restaurandae necessitatem fraudulenter elidendo Christum solvat,— hominem sui ipsius Salvatorem asserat, ita religionem revelatam, ejusque rigidam morum doctrinam funditus evertat, ac sensualitatem, vagam sentiendi, et agendi libidinem — saeculi idolum — constituat, thusque eidem adulanter deferat.

Fili in Christo dilecti! non decipiamur hac obstrusa nobis nova, licet acutiori, paganismi forma; quin potius vigilemus, viriliter agamus, fortes et constantes in fide. Non aliud nobis valeat fundamentum praeter id, quod positum est, quod Christus est, atque gestiamus huic fundamento superinstruere non ligna, non foenum, non stipulam, sed lapides pretiosos, argentum et aurum, ut superveniente ignis proba structura nostra perseveret. Esto, ita struentes Apostolorum sinistram nos experiri sortem, mundi ludibria, sibila, et convitia incurrendo; non dejiciamur, apostolico roborati solamine: „Quodsi ministratio mortis litteris formata in lapidibus fuit in gloria, ita ut non possent intendere filii Israel in faciem Moysi propter claritatem vultus ejus: quomodo non magis ministratio spiritus erit in gloria? Si quod evacuatur, per gloriam est, multo magis, quod manet, erit in gloria.“ Transit gloria, et sapientia mundi, quae non est, nisi concupiscentia carnis, et saeculi, et superbia vitae: veritas autem, et Christus manet in aeternum. Habentes igitur talem spem, multa et magna utamur fiducia!

Sacrorum doctrinam in digno animarum pastore excipit insignis vitae et morum integritas.

Placet veritas suavi ac modesto defluens ore, sed vitae sanctitate quasi personificata animos rapit. Commendemus itaque nosmetipsos manifestando in moribus veritatem, quam ore praedicamus. Caveamus vel remotissimam mundo afferre offensionem, ne sacrum vituperetur ministerium nostrum: sed in omnibus exhibeamus nos sicut DEI ministros in multa patientia, in castitate, in longanimitate, in suavitate, in charitate non ficta, in Spiritu Sancto, in justitia, fide, pace, ut fidos ac expeditos Christi milites, qui non implicantur mundi nugis, stultiis et vitiis. E tenebris in

regnum lucis translati ut filii lucis ambulemus, horrentes opera tenebrarum; non perficientes desideria carnis, quae adversus spiritum concupiscit, non trahentes servile jugum cum illis, qui ut inimici crucis Christi ambulant, quorum Deus venter, quorum finis interitus est. Quin potius virilem ac felicem filiorum DEI vindicemus nobis libertatem, qua in certamine adversus mundum et carnem gloriosas deferentes victorias, quae sursum sunt, quaeramus: et non sapiamus, nisi quae vera, pudica, justa, sancta, amabilia sunt, ut ita siderum instar in media perversi saeculi splendescamus caligine, et integer spiritus noster, et anima, et corpus in adventu Domini servetur: immo in coelis sit conversatio nostra, unde Salvatorem exspectamus, qui reformabit et corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae.

Hanc status sacerdotalis sanctimoniam reclamant Fideles, nostra praesertim aetate, qua tantis incredulitatis, et immoralitatis scatet laqueis, et periculis, ut vel ipsum Sacerdotium quoad disciplinae spiritum magnam ruinam pati merito ingemiscamus. Hanc status pastoralis sanctimoniam Fideles eo justius reclamant, cum gregi Christi nulla terribilior obtingere possit calamitas, quam mercenariis committi pastoriibus, ad quos non pertinet de ovibus, qui veniente lupo fugiunt, aut qui vel ipsi fures et latrones existunt, pravis vitae exemplis mactantes et perdentes oves, quas sumimus Pastor adeo magno redemit pretio, ut vitam haberent, et abundantius haberent.

Omnis familiarum, civitatum, regnum nutat, et subvertitur ordo, ac salus, si, quod requiritur in corpore, non deprehendatur in capite. Per sacerdotum scelera grandia venisse scandala, gentes et populos a veritate defecisse, regna et imperia scissionibus, dissidiis, perturbationibus, gladio et ferro vix non periisse, historia loquitur. Beatus econtra populus, heati Christianorum coetus, quibus Dominus dedit pastores juxta cor suum.

Magna sacerdotum sanctorum vis, energia, et efficacitas est! Quid valueret Borromaei, Salesii, Xaverii, Vincentii, qui apostolico Zelo simul ac coelesti mansuetudine tot incredulos, et errantes in fidei et veritatis lucem, tot perditos in virtutis reduxerunt semitas? Tales intueamur viros! scrutemur, qualiter sacrum sustinuerint ministerium: qualiter Evangelium Jesu Christi praedicaverint, et qualiter, quae praedicabant, sanctissima morum et vitae forma in se expresserint. Tales imitemur viros! et quamvis in mundi oculis nunc fors parvi et despici, magni tamen et insigneis in regno coelorum constituemur.

Sacrorum doctrinam, vitaeque integritatem digni animarum pastores Pastorali simul coronant prudentia; ut scientiae ac pietatis suae ampliores capiant fructus: et hanc prudentiam tam in lythurgiae ministerio, quam in omnibus aliis vitae pastorali exerunt relationibus.

De lythurgia ob temporis exigentias uberioris quaedam commonere lubet. Vehementissime desideramus eam cultus externi faciem, taleque ejusdem ministerium, quo summi Numinis in spiritu et veritate efficacissime foveatur, et amplietur adoratio; quod non fiet, nisi prudenti, et assidua in scholis, cathedris, et Confessionalibus instructione eo Fideles praesertim vehantur, ut cultum inter et religionem acriter discernant, ut in cultu ipso divinitus ordinata ab iis probe dignoscant, quae successiva institutione accesserunt; ut totius oeconomiae lythurgicae sive divinitus, sive humanitatis adornatae sensum, scopum, dignitatem, et efficaciam magis magisque penetrent.

Quae Christus docuit viva fide amplecti, quae promisit, gaudente et exultante spe anhelare; quae praecepit, filiali obedientia exequi, ac proinde ad mentem Christi DEUM super omnia, proximum propter DEUM diligere, christianae religionis essentiam, summamque constituit. Hujus, itaque religionis internae et practicae excitandae, aut manifestandae Cultus externus solum media, et subsidia offert: de quo quidem frequenter et acriter monendi sunt Fideles, praesertim rudiores: ut superstitionem mittant indolem, qua Cultui primas, Religioni autem secundas, saepe nullas tribuunt partes, ita ut non raro, corde religionis experte, ceremoniali exteri cultus ex toto acquiescant, et confidant apparatui.

Novimus paucos solum, simplicesque a Christo Domino aut immediate, aut mediante Apostolorum ministerio assumptos fuisse ritus Iythurgicos, quos insigni Sacramentorum distinguimus nomine, et septenario recolimus numero. Qui quidem ritus adeo moralibus hominum consulunt indigentias, ac praecipuis humanae vitae respondent epochis, ut de divina eorundem institutione dubitare fas non sit: his vero sacris ritibus ministrandis humana passim autoritate magnum ceremoniarum accessisse apparatum, notum est.

Nitendum itaque populi catholici praecoribus, magistris et confessariis magnopere assidua instructione nitendum, ut Fideles sacra haec religionis mysteria quo-ad sensum, scopum, efficaciam elare et fructuose penetrent. Nitendum ut Fideles in baptismi regenerationis lavacro generationis istius sublimem assequantur sensum, magnifice ponderent effectus, sanctaque hominis regenerati venerentur officia adeo sacro sanciri foedere!

Dolendum sane, a Catechetis, et Concionatoribus adeo raram aut sterilem solum fieri mentionem baptissimi, et baptismales ceremonias ita relinquiri inexplicatas, ut pulcherrima sua aedificationis parandae priventur efficacia. Nitendum, ut Fideles in sacro Confirmationis ritu et fidei, et innocentiae ad sanguinem usque servandae et necessitatem deprehendant, et possibilitatem Spiritus Sancti alma inditam virtute: qua virtute nostro praeprimis opus est tempore, quo Fideles paratis sibi vix emergent procellis, nisi supero fidei et strenuae pietatis muniti robore.

Nitendum, ut Fideles in augustissima Domini nostri Coena et novi foederis amplissimum Sacrificium, et vitae suae spiritualis dulcissimum recolant nutrimentum, clarissimeque perspiciant, qua ratione homo christianus Sacrificii hujus particeps, et Coenae hujus coelestis dignus existat Commensalis.

Utinam omnes sacerdotes coenam hanc ea aut celebrent, aut ministrent dignitate, qua summi hujus mysterii magis magisque signetur majestas, et contemnentium reprimuntur insultus!

Nitendum, ut Fideles in sacramentali reconciliationis ritu continuatum Christi Domini homines docendi, emendandi, et salvandi revereantur munus, quo funguntur novae legis Sacerdotes, peccata remittendi, aut retinendi potestate divinitus ideo donati, ut sincere poenitentibus adjutores existant, illisque absolutione sacramentali pacem concilient, poenitentiam vero solum simulantibus retinendo peccata terorem afferant, quo ad saniora salutis quaerendae ducantur consilia. Qui quidem Sacramen-

ti hujus conceptus populo passim obvius tristes amovebit abusus, e quibus ecclesiae osores tantam conviciandi hauserunt materiem!

Nitendum, ut Fideles in inaugurandis ecclesiae ministris, in benedicendis connubiis, in ungendis infirmis clare penetrent, quisnam Sacrorum istorum finis sit, dignitas, et efficacia.

Sacris inaugurantur ritibus ecclesiae ministri, ut iisdem et dignitas concilietur, et virtus, qua pro munere suo morali gregis sibi crediti educationi, sanctificatio et saluti, perpetuo, ac omnibus viribus sese impendant. Benedicuntur connubia, ut magnum, loquente Apostolo, Christum inter et ecclesiam, exhibeant, et impleant Sacramentum, ut mediante mutui et sancti amoris bonjugalis subsidio, generis nostri propagatio, cultura, ac civica salus, auspicante Numine supremo, ulro progrediarur. Unguntur infirmi, ut clementi DEI interventu aut sanitati, civitatisque restituantur, aut forti, gaudentique fiducia saeculum linquant, felioris patriae ingressuri limina.

Hisce conceptibus mens populi assidue imbuta eam passim mittet indolentiam, qua plurimi adhuc, praesertim plebeji, ritibus sacramentalibus mechanico prorsus, omni sensu et spiritu carente adesse solent otio.

Tandem Fideles assidua instructione eo vehendi sunt, ut et omnem reliquum adeo uberem, latinitate reconditum, ecclesiasticarum ceremoniarum apparatum saltem eosunque penetrent, ut non omni aedificationis spolientur fructu, et obstrusa mente, clausoque quasi oculo transeant, nullum prorsus inde excitandae aut manifestandae religionis internae trahentes subsidium.

Arduum utique populi ita instruendi, sed et dignissimum negotium, immo medium unicum est, ita formandi, et peragendi cultum, externum, ut iniquo temporis nostri occurratur genio, qui, licet omnem fere religionem, paeprimis tamen catholicorum Sacra ridet, amaroque illusionis excipit cachinno, quasi vero ecclesia nostra omni veritatis ac dignitatis excidisset charactere!

Sicut itaque in lythurgiae ministerio, ita in omnibus aliis vitae pastoralis relationibus et negotiis digni animarum pastores insignem sectantur prudentiam, qua ad exemplum Apostoli omnibus omnia fieri gestiunt. In scholis erudienda, ad piatem morumque decentiam formanda pueritiae magna cum circumspectione et singulari vigilancia praesunt. Juventuti adultae eximiam prorsus impendunt sollicitudinem, ne in vitia praeceps, anima et corpore mature corrupta, in subsequens matrimonium iterum facile depravandae generationis et posteritatis deferant materiem; ac vel ideo matrimonium adspirantibus sapienti consilio, et seriis, adsunt monitis. Conjuges dissidentes circumspecta et forti persuasione in viam pacis reducunt. Dominantibus populi vitiis verbo, et proprio exemplo efficaciter occurrunt. Scandalis publicis aut praecavendis, aut elidendis sagaciter invigilant: pauperum inopiam levant, afflictorum lachrimas tergunt, et praesertim relictam infirmorum sortem misericorditer dolent, ac omni possibili solamine alleviant. Domui suae exemplariter praesunt: morum, et omnis conversationis suae prudentem, seriam et amabilem colunt decentiam: verbo: in omnibus sese gregis sui formam, et status sui decus exhibent, omnia lucrificientes Christo.